

P R A E F A T I O.

Iam tuam uberemque dicendi copiam, tum vero propter divisionam istam animi tranquillitatem atque aequitatem. Cum enim tot annos in hac post hominum memoriam clarissima republica summa cum gloria versatus sis, cumque dignitatis præstantia quamplurimis semper areris, communis juris aequabilitatem transisti nunquam, sic ne cogitasti quidem. Quin etiam (memini enim me hoc ipso Bembo saepe audire) cum tua te virtus multus jam ab hinc annos ad summam amplitudinem perduceret, tuaque præclarissima patria ad istum honoris gradum, quem unum altissimum habet, ipsa te tollere cuperet atque admiteretur, deque tua gloria sollicita esset, liberasti tu eam omni cura, atque aliis quibusdam, in istum locum magna quadam properatione festinantibus, cum anteverttere posse, ultro cessisti. Magnifica vero laus, honorem, tantum præsertim, cuius cupiditate cæteri inflamentur, tam modice concupiscere. Sed eadem tamen ipsa respublica, simul ac data facultas est, jandudum tibi debitam, tibique reservatam dignitatem istam, ad te scilicet eundem cupidissime detulit: neque tamen, nec quidem, aequabilitatem animi tui tu illam veterem amisisti: atque hoc ipso in honore maximo gerendo, cum gravitatem ac dignitatem sic adhibeas, quasi reipublicæ humanitatem facilitatemque ut tuam retines. ita nec civitatis maximæ clarissimæque majestas desideranda est, nec optimi præstantissimique civis humanitas requirenda. Quid, quod duarum maxime insignium virtutum, integritatis ac prudentiæ tue, duos esse certissimos testes videmus, paupertatem alterius, summam alterius tuam apud omnes gratiam atque autoritatem? quo quidem ex testimonio intelligere omnes necesse est, ita te in respublica administranda ad octuagesimum usque annum ætatem contrivisse, ut publicas res sic procurares, ut tuas; sic autem ab iis manus abstineres, ut ab alienis: ita factum esse ut cum tu sic animum induxisses tuum, ut bono civi gratis reipublicæ serviendum esse statueres, illa contra egregiæ tuæ erga se voluntatis tibi præmium, quod habuerit præclarissimum, laudis & gloriæ, tribuere cupierit. Ac mihi quidem in